



**Jacobi Alvarez de Paz Opera**

De Vita Spirituali, Eivsqve Perfectione - Libri quinque

**Álvarez de Paz, Jacobo**

**Lvgdvni, 1611**

Sanctissimo Ac Beatissimo Patri Et Domino N. Pavlo V. Pontifici Maximo  
Jacobvs Alvarez De Paz Presbyter é Societate Iesv sempiternam  
fœlicitatem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77833](#)



SANCTISSIMO AC  
BEATISSIMO PATRI,  
ET DOMINO N. PAVLO V.  
PONTIFICI MAXIMO

JACOBVS ALVAREZ DE PAZ PRESBTER  
*è Societate IESV sempernam felicitatem.*

RIMVM tomum de vita spiritua-  
li , ac eius perfectione , ex tribus ,  
quos Deo fauente , si vita super-  
stes fuerit , tuis bonis auspiciis in  
lucem dabo , dicare tibi institui  
(Beatissime Pater ) qui Paulus nomine , Pe-  
trus munere , & potestate Christi locum in  
terris obtines : qui veritas , vita & via est ad il-  
lam perfectionem ad quam ex Patris æterni  
imitatione nos idē Christus exhortatur . Cui  
enim vel melius vel iustius submitterem li-  
manda & excolenda vitæ spiritualis & perfe-  
ctionis præcepta , quam maximo catholicæ  
religionis magistro , qui primam cathedram ,  
quæ norma & methodus totius veritatis est ,  
in Ecclesia moderatur? quā summo omnium  
sacerdoti , penes quem nō iam veram lepram  
ab apparenti , sed veram ac certā sanctitatem ,  
& doctrinam a fucata & ementita discernēdi

Ioan. 14.

Matth. 5.

Leui. 13.

verum ac certum iudicium est: quām iustissi-  
mo rerum omnium æstimatori, qui ex Iere-  
miæ vaticinio quasi os Domini, cuius vices  
in terris gerit, separat pretiosum à vili, & quid  
tenēdum, quid fugiendum sit, æqua lance di-  
gnoscit? Licet enim hæc, atque alia multa ef-  
fent, quæ me ad id agendū impellerent, mul-  
ta item retardarent, malui tamē nimis audax  
videri, quām meæ voluntati, quæ tuæ Beati-  
tudini peculiari voto nō solùm ex nostræ mi-  
nimæ Societatis instituto astricta, sed natura-  
li, & Christiana quadā pietate dedita est, non  
satisfecisse. Præcipue cùm certò scirem, ea  
quæ ex remotissimis locis, & afferuntur, &  
offeruntur, hoc ipso nomine placere multis,  
aditūmque sibi aliquando ad maximos prin-  
cipes, licet abiecta sint, & vilia, sola ratione  
longi itineris aperuisse. Capiens igitur (Beatissime  
Pater) munus hoc nostrum, licet exi-  
guum, eadem, imò maiore, ut spero, beneuo-  
lentia, & amore, quām Persarum ille Rex ob-  
latam manibus à rustico quodam aquam su-  
sccepit, quod maiori longè pietate, ac submis-  
sione offertur, quod ex remotissimis his re-  
gionibus, tot ac tantis terrarum, triūmque  
marium interuallis à sacrosancta Vrbe tuæ  
sacræ Majestatis sede disiunctis, tibi, qua par-  
est animi obseruantia transmittitur. Illud an-  
te viginti duos annos, ex quo huc ex Hispa-

nia 3

nia à nostræ Societatis Superioribus missus sum ad trahendam cum reliquis sociis Euangelij sâgenam mecum ipse disposui, elaborauit successiuis temporibus, quæ ex quotidianis aliis occupationibus, quæ in vinea hac Domini, plantata nuper, excolenda multæ sunt, ac variæ, ut potui subtraxi. Illud si in augustissimo propè diuinæ tuæ Maiestatis nomine apparet, vix dici potest quantum meis & animi & corporis viribus, quæ sentio, quâm sint omnes exiguae, roboris accrescit ad duas reliquas huius operis partes perurgendas, quas iam conceptas animo, necdum natas, ut veniant fœliciter ad partum tuæ

Apostolicæ sanctitati, quam Deus ad  
multos & fœlicissimos annos ser-  
uet in columem, consecraui.

In æternum vale.

